



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1655**

§. 270. Et Ecce terræ motus factus est magnus. v. 2.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

**Q**uis dabit ut ita veniam ad te Deus meus, sicut hæc Magdalena, ut omni tempore contendam rapere de morte vitam, qui de vita rapietiam maturè mortem.

§. 269. *Et Altera Maria. v. 1.*

Quænam autem fuit hæc altera illa Maria, cuius nomen Matthæus silentio præterit? opinor fuisse Mariam Matrem Christi quæ ex desiderio videndi & salutandi filium cum Maria Magdalena iuit versus sepulchrum summo mane cum iam secunda vespera Sabbati Magni ante dicti transisset, imò adhuc tenebræ essent in horizonte Ierosolymorum, harum tenebrarum ramen nulla hic fit mentio, quia quæ veniebant fidei luce non carebant: Et sic verè primo occurrerit eis, & se præsentauerit filius & Matri, & Magdalene simul: Maximè eum dicat Theophilus quod aliæ fuerint mulieres quæ à Matthæo, aliæ quæ à Marco describuntur: cui etiam cū aliorum Patrum sententia, tanquam aptissimæ ad Resurrectionis historiam intelligendam insisto.

**D**omine agnosco S. matris Ecclesiæ Catholicæ sapientiam à Spiritu S. doctæ, quæ semper tenuit te primo omnium matri tuæ apparuisse, & nihilominus teste S. Marco etiam primo apparuisse S. Mariæ Magdalene. Ecce utriusque verū est docente S. Matthæo modum. O si & ego sim diligens, ut te quæram, omni tempore, manè, diluculo, meridie & vesperi adjuvante, & comitante B.M.V. Matre tua ut & tecum sim omni tempore, & conuerfer mente, nulli parcens labori ut te inueniam, & honorem. O me felicem si illa comite semel perfecte te inuenero, tenuero, honorauero omnibus abiectis creaturis.

§. 270. *Et Ecce terra motus factus est magnus. v. 2.*

Dum irent videre sepulchrum duæ hæc mulieres fide plenæ ecce subito fit Resurrectio Domini & oritur magnus terræ motus, & uti terræ motus fuit quando Christus expirauit in signum tristitiæ; ita modo cum resumeret Corpus eius sacrum spiritum vitæ, terram contingebat moueri, in signum lætitiæ: Nolite terreri piæ Matronæ, progredimini, fidite Deo, ipse author est vitæ, quod dixit, efficiet, dixit enim post tres dies resurgam, tertia iam dies est, ergo resurrectionis dies & lætitiæ vniuersi, non tristitiæ, quia terra cum exultatione reddit Christum redemptorem suum mundo quem absconderat. Principum ingressus in urbem honoratur explosione tormenti, & fit motus modici aëris; at Christus Princeps orbis honoratur commotione vniuersi.

**O** Iesu mundi redemptor, Princeps Regum terræ, domitor inferni, re-  
dux de barathro, Triumphator mortis &c. gratulor & gaudeo, quod

Z

tantus



tantus tibi simul pro me redempto honor est impensus, ut terrarum orbis tremeret te iterum cum Victoria redeunte in mundum.

§. 271. *Angelus enim Domini descendit de celo. v. 2.*

Si vnus Angelus tam fortis ac potens est ut eius descensu è cælo moueatur terræ pondus immensum habens in ambitu solo circulum 5400. miliarium Germanicorum, & in transitu ad medium centrum 859. mill. Germanica! quid non legiones Angelorum efficient! sed fuerit iste motus immediatè à Deo productus, tamquam miraculum cui impares sint Angeli, ni hilominus habes hic anima mea, quod utiliter capias. nam si Dominus resurgens & lætus sic toti quasi mundo terrorem incutiat, quantus igitur tremor est futurus quando Christus Iudex est venturus? cum quo non vnus Angelus sed tot millia Angelorum & sanctorum descendunt è cælo, & ex omni parte mundi audietur tuba, clamans, surgite mortui venite ad iudicium: ô quanta concussio terræ! quanta turbatio! quantus terror tunc erit! Horresco.

**I** Deo precor mi Domine Deus terribilis & potens & misericors ut me ad terribile id iudicium in tempore præparem, da gratiam ut semper & ubique in mente verferur is terror, ut vel sic à peccatis præseruet, & tandem in extrema illa anxietate inueniat securus, tibi acceptus, purus, paratus tecum intrare in gloriam tuam.

§. 272. *Et accedens reuoluit lapidem. v. 2.*

Dum Christus resurgit, illicò Angeli adsunt in ministerium Domini & vnus ut ostenderet militibus simul & mulieribus Christum, quem tanto amore illæ quærebant, isti seruabant, resurrexisse propria virtute etiam obsecrato adhuc per lapidem sepulchro, accessit sepulchrum videntibus mulieribus & reuoluit lapidem illum grandem à sepulchri ostio, ut testes resurrectionis Christi certo videre omnia & intrare sepulchrum sine obstaculo, & alijs sine vlla hæsitacione vel dubitatione possent nuntiare veritatem.

**D**omine Deus, gaudeo quidem de tua gloria & Angelorum ministerio, sed interim etiam sum sollicitus de me, idcirco oro te ut quando existi à me, quia homo peccator sum, mittas quoque Angelum sanctum tuum concionatores, libros pios, instinctus Sanctos, confessorium prudentem qui referat oclusum & obduratum cor meum ut recipiam pœnitentiam, agnoscam & intelligam peccata mea, & in tempore ea cum dolore cordis confitear ut is testis resurrectionis meæ & vitæ emendationis esse possit in die illa terribili resurrectionis vniuersalis.

§. 273. *Et*